


37







2

HIPPOCRATICA  
DE CRISI ET DE CRITI-  
CIS DIEBVS  
DOGMATA  
CONTRA VIRVM ILLVSTREM CAMPERVM.

\*\*\*\*\*

D. SEPTEMBRIS MDCCLXXXVII.  
DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM  
LEGITIME CAPESSVRVS,  
PVBLICA DISSERTATIONE  
DEFENDET  
CAROLVS GVILLIELMVS SCHWARZ,  
LIGNICENSIS - SILESIVS.



---

TRAIECTI AD VIADRYM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

HIPPOCRATICAE  
DE CRISI ET DE CRITI-  
CIS DIEBUS  
DOCTATA  
CONTRA VIRVM ILLASTREM CAMBRVM

IN SEPTENNIO MDCCLXXVII  
DOCTORIS MEDICI DICHTATVM


CAROLVS WILHELMVS SCHWABVS

---

FRANCIVS AD VINDOB.  
E TYPOGRAFICO WINTERLING.







N. P.

AMICO SINGVLARI

S. P. D.

A V C T O R.

**P**arum est, quod offero, maioris olim promissi speciminis academici. Cuius quum materiae dignitatem amplitudinemque perpendo, nec TIBI, nec mihi me satisfecisse fateor. Non ignoras quidem, multa existere, quibus, ne longior essem, impeditus sum: attamen, si, de qua inter summos viros disceptatur, causam susceperim, nec vberior discussio sufficeret, etenim non audeo, tantas componere lites. Id modo propositum est, vt, nullo partium studio du-

A 2

ctus,



Etus, quae denuo \*) tam acriter perstricta esse legeram, veterum dogmata de crisi et de criticis diebus, quae quidem in errorem nos inducere dicuntur, defendam. Quod cum idem longe antea fecerunt eruditione atque perspicacia multo me superiores viri, horum argumenta minus aestumata esse vel maxime miror; quaedam eorum repetere iuvat, quaedam addere liceat.

Prae-

\*) V. c. in libro: CAMPERS Beantwortung einer von der batav. Gesellschaft zu Rotterdam aufgegebenen Preisfrage mit dem Wahlspruch: simplex erat ex simplici causa valetudo etc. herausgegeben von Herbel. Hic illustris auctor sequentia scribit: Alle abwechselnde Fieber, fürnehmlich diejenige, welche im Lenze und Herbst herrschen und öfters in Faulfieber, wodurch die Natur des ganzen Körpers verdorben wird, ausarten, müssen unmittelbar und gleich im Anfange mit der Fiebrerrinde von Peru, oder solchen Mitteln, die aus dem Pflanzenreiche genommen, eine ähnliche Kraft haben, gebremmt werden. Denn es ist doch einmal Zeit, daß wir das ungerechte Loch der Alten in Rücksicht der Krankheitsmaterie, der Gährung und des Wechsels derselben, das ist der Krisen und der kritischen Tage abweisen, und den Fortgang einer Krankheit, wenn dieselbe aus dem eingeathmeten Gifte der Luft entsteht und nicht von unsern verfaulten Eingeweidern abhängt, gleich anfänglich hemmen.



## §. I.

*Praemonenda.*

Aegrotos sanasse, mortuos resuscitasse, atque artem salutarem homines edocuisse maiorum quidem minorumque gentium dii olim dicebantur. Sed posteros eorum mortales, cessante illo Deorum hominumque consortio, naturam interrogasse, ab ea edoctos eam imitatos esse, accepimus. Quorum qui principes habentur, qui maximae praestiterunt, quos omne aeuum celebrat, eosdem si vituperari atque irrideri a scholis quibusdam cognouerimus, quo modo hoc factum sit, quid sibi velint aduersarii, non minoris momenti quaestio esse videtur. Sed hi quidem sunt, qui artem, quemadmodum illi naturam, ducem sequuntur. Referre nostri non est, quae in scriptis exstant, singulas singulorum sententias, iterum ne repetamus, quae saepius repetita leguntur. Sed inter eos, qui *Pythagoram* et qui *Hippocratem*, contra qui *Asclepiadem* et *Celsum* sunt sequuti, principum artis meminisse sufficiat. At si ingenii acumine praecellere, optimeque mederi eosdem cognouerimus, qui laudata nobis veterum dogmata adoptarunt, non est quod dubitemus, aut nullas, aut quas ipsi leges obseruarunt, easdem naturam nobis praescripisse. Quarum si naturam legum ipsam perscrutatissimus, si easdem non finxisse, sed ex rerum ordine designasse, auctores magnos viros



intellexerimus, nobis quidem alii, nouitatis illecebris capti, antiqua reieciſſe, alii ex inuidia, ex ignorantia alii, male veteres interpretati eſſe videntur.

§. II.

*Sydenham, Boerhaaue, v. Swieten, de Haen.*

Quem artis Phoebum et lumen Angliae Boerhaaue praedicat, vel maxime is neceſſaria atque illuſtria Hippocratis axiomata laudat. Parem illi in diiudicandis medendisque morbis, parem illi obſeruatorem aut, ſi magis forſan ariſerit, otioſum ſpectatorem ſcripta produnt, in quibus ſapienter monet, naturam vbique artis adminiculo non indigere, in morbis depellendis non ſatis lente nos feſtinare, tardius eſſe procedendum, ac plus, quam mos obtinuit, naturae comittendum eſſe.

Vbique repetitam, vbique confirmatam Hippocratis doctrinam, et quidquid eximii in arte medica gentes habent, illi deberi, Batauum decus medicorum aſſerit; quinimo inter recentiores de medicinae vſu ſcriptores paucos, ſi vlli, veterum perfectionem attigiffe, dolendum eſſe monet a). Qui cum Hippocratis Galenique dogmatibus ſua ſedulo contulit, eruditiffimus magni viri interpres, veriſſima ipſorum dicta eſſe, miranda cum modestia teſtatur, praecipuamque inde dogmatum difficultatem fieri contendit, cum ſapere plus, ac plura illis praefagire velimus; quin nec fateti erubeſcit, ſe eraffe, dum veterum axiomata non obſeruauerit b).  
Ne-

a) In *Orat. de commend. ſtud. Hippocrat.*

b) v. SWIETEN in *Comment. in Aph. Boerh. T. II.*



Neque omnino praetermittendum est *Ant. de Haen*, viri experientissimi, testimonium, cuius candor omnem admirationem, cuius obseruata omnem omnino fidem merentur. Is a *Boerhaauio* edoctus leges *Hippocrati* obseruatas praxi batava confirmatas, atque *Austriaca* millenis testibus se demonstrasse refert c). Sed hi quidem, quibus hippocratica comprobata sunt, Hippocratice sunt medicati, nec in eos cadit, quod in graecarum legum ignaris et obtrektoribus *Bagliuius* vituperat, imprudenter eos et intempestiue adhibitis medicamentis aegrotantes conficere, naturae conatus turbare, subuertere. Non praeterire licet, quantum vitae genus et graecum coelum differant a nostris, a stricto igitur veteribus ordine obseruato naturam interdum aberrare, non dubitandum est. Quid? quod, si febris depuratoriae conuenire veterum dogmata a viro hippocratico accepimus, minus illa aliis febrium speciebus respondere ab eodem edocti sumus. Sed ideo num omnis crifium et criticorum dierum obseruatio inutilis, num falsa dogmata pronuncian- da sunt?

§. III.

*Aduersarii.*

Sic volunt, sic iubent Hippocratis aduersarii, quos ab illustri Batuauorum medico citatos esse legimus. At primus horum is est, cuius nomen admodum olim inclaruit, qui magni a *Celso* factus est, *Asclepiades*, quem nulli in arte secundum *Sextus Empiricus*, eloquentem sophistam *Galenus*, *Agyrtana*

c) ANT. DE HAEN in rar. med. de damn. nou. doctr.



tam *Caelius Aurelianus* nuncupat. Sed, quae inuidiose de eo referuntur, praetermissis, id facilenegari nequit, noui systematis illecebris motum falsi verique auctores acriter eum inuasisse, ipsam autem, dum ad causam reuocauit, medicinam, ut *Plinius* ait, coniecturam fecisse. Qui multa docuit fecitque, quae ad felicem praxin iuuant, ut ne *Hippocratis* obseruatis ficta, veritati hypotheses, candori arrogantiam opposuisset! Sed, quam ubique naturam secutus est diuus senex, de hac interpretando medendoque disponit dictator superbus *Asclepiades*. Cui quidem nil, nisi corpus et motus, natura erat, saepius eam nocere, quam prodesse, eiusque omnem *Hippocrati* celebratam vim ordinemque facile negare licuit. Quamobrem otiosum *Hippocratem* spectatorem, eiusque opera de morte meditationes inscribere non dubitauit. Qui denique typum quotidianae febris maiorum, tertianae minorum corpusculorum statione fieri asserit, concinnum systema extruxisse, cuiuscunque placet, concedamus: sed in *Hippocrate* reprehendendo sophistam, neque medicum, effata eius ostendisse, id nobis concedatur.

Qui vera et illustria Hippocratica commentatur *Galenus*, cum ex harmonia numerorum crises explicare, ridiculum esse admonet, quis illi contradicet? sed quid est, cur *Hippocrati* hanc dogmatum rationem supponamus? Equidem subscribere non dubito dictis excellentissimi viri *Ant. de Haen*, qui quidem *Hippocratis* opera non satis cognouisse aut intellexisse eos affirmat, qui numero Pythagorico deceptum eum esse aiunt. Luculenter enim ab eo demon-



demonstratum est, eodem, qui sacer Pythagorae numerus habebatur, criticos dies minime limitari *d*). Mirum itaque videri posset, quae refutatae sunt opiniones, iterum moueri, et quae non minoris momenti sunt, argumenta a viro eruditissimo penitus esse neglecta.

§. IV.

*Pythagorismus defenditur.*

Sed, quem Pythagorismo sic absoluiamus, Hippocratem ex Pythagorae dictis sua hausisse, dictorumque rationem numerorum virtute niti concedamus. Quidni eundem insanire dicimus, qui sapere atque omni rerum naturalium scientia instructus medica primus cum physicis coniunxisse dicitur?

Non est, inquam, quod mirum esse videtur, Pythagoram numerum tanti fecisse. Est autem, quod non esse videtur, mirum, philosophi vetustissimi dogmata sic explicata esse, ut cum umbra luctari magus conspiciatur. Nos quidem non audemus in tanta, quae numerorum doctrinam premere dicitur, tenebritate lucem incendere: sed qui in perferendis rerum causis et principiis vitam omnem consumpsit, qui morum castitate mortales antecellit, in cuius tacito sanctoque secessu didicerunt *e*), qui iura gentibus posuerunt, eum, inquam, dignum iudicemus virum, qui ab anili illa, cuius accusatur, superstitione *f*), prorsus absoluat.

Qua-

*d*) *Libr. cit.*

*e*) *SENEC. Epist. XL.*

*f*) *BAYLE Dict. hist. et crit. BRVCKER Hist. philos.*



Quamobrem, obseruato illi rerum ordini originem laudemque numeros debere, arbitramur, aut Abderitis, ipsum, instar *Democriti*, *Hippocratis* medela indigere, assentiendum est.

§. V.

*Helmontius, Chiraciana schola, alii.*

Cuius ingenii vim et perspicaciam admiramur, quem in perstringendis sui aevi erroribus maximi facimus, *Helmontium* vehementissime contra veteres insurgere videmus. Fateamur, eos, qui *Archeum* eius vituperarunt, saepius non meliora prodidisse; sed hos ipsos imitatus est, quum contra aduersarios tam vehementer pugnaret. Si enim adserit: praestare, medico caruisse, quotquot per crisin aegrotantes euadunt, tunc irritum et furiosum suisque placitis captum eundem aestimamus, qui mori praetulit, quam venae sectione systemati aduersa mederi phrenitidi. Sed qui in incunabulis morbos suffocare, arte omnia perficere valent, quorum dicto natura semper obedit, quidni omnes superent? Atque hos omnino venerandum Graeciae decus simplicitate atque ignorantia sua superiores esse, facile concederet. Sed qui tanta tamque stupenda promiserunt, vtinam praestitissent!

Laudantur adhuc, quae *Hippocratis* dogmatibus aduersantur, recentiorum placita, *Chiraciana* puta, quaeque haec aliae secutae sunt scholae. Harum autem pulsuum crisumque nouam doctrinam saepissime fallere, perniciosam esse, nec ad subuertenda *Coi* dogmata valere, grauissimi, quos iam citauimus, au-



auctores docuerunt. Sed quum, vt supra dictum est, et alienum coelum, et vitae genus victusque ratio impediunt quandoque, vt semper et vbique crises veterum diesque critici exacte obseruentur, id vel maxime fieri neceſſe est, quum methodus medendi ab illa veterum longissime differt. Quid, quod si nimis forsân veteres naturae concessisse videantur, naturam eorum fortioſiorem plus sibi suffecisse, neque cultu, neque victu, tam deprauatam fuisse, ac noſtram, monere interest. Contra qui *Asclepiade* duce nocere saepius naturam, ac prodesse, contendunt, nae! arte nocent, dum suas ipsi leges naturae dictitant!

§. VI.

*Camperi iudicium. Februm caussa, medendi methodus.*

Sed quum maxima summorum virorum auctoritate hippocratica dogmata confirmata sunt, vltra vrgere litem iam fere absolutam minus interesset, nisi maxime valeret, quod denuo illis aduersari legimus iudicium perillustriſis viri atque de omni re litteraria longe meritissimi. Scilicet is eos, qui nec criseos, nec criticorum dierum, rationem esse dicunt, summa omnino auctoritate sua defendit, omnesque ac praesertim, quae autumno vereque contingunt, intermittentes febres a principio suppressere iubet. Felicissime hac methodo vsos esse nouimus, *Mortonium*, *Werlhofium*, *Baglium*, *Torti*, aliosque, in maligna illa intermittentium specie, quae apoplexiam, lethargum, aliaque horrenda mala simulant, et vnico aut paucis



paroxysmīs aegrum tollunt. Pessimis haec symptomatibus stipata febris, quae constitutione epidemica contigisse legitur, instanti periculo mouit medicos, vt opem accelerarent, ilico ad corticem confugerent et repentina arte morbum debellarent. Contra coctionem atque crisin exspectare, alienum atque noxium omnino iudicatum est, propterea quod epidemico miasmate prostratae vires a morbo victae essent. Hanc quidem methodum in omnibus, quae maligno aliquo symptomate notantur, febribus, in topicis, iisque, vbi quouis modo vires aegrotantis ad morbum debellandum non sufficiunt, praestare comprobatum est. Sed eadem an omnium quae intermittunt febrium est indoles? An eadem haec omnibus medela conuenit? Si quidem morbificam materiam negare et sentiendi mouendique principium solummodo accusare licet, nunquam specificum prodesse nequit: id, quod in febris characterem propria virtute agere dicitur, et iucundissime sanare, celerrimeque praestat. Eheu! autem abundamus exemplis aegrotantium, qui eidem festinato corticis vsui malorum cohortem debent, viscerum obstructions, cachexiam, hydropem, etc. quae quidem, vti probe *van Swieten* monet *g*), medentis incuriae, nec optimo huic remedio tribui debent. Quot, quaeso, hac ex neglecta ratione, miseris luctare iuuenem videmus, cuius historiam idem auctor refert *h*). Quam horrenda sunt, quae ex anglorum obseruatis exempla allegantur *i*). Icterus, hydrops, asthma, totius

*g*) *Libr. cit.* *h*) *Comm. §. 767.*

*i*) *Med. Essays. T. IV.*



neruosi systematis ataxia. Nec mirum est, quod  
 evenit, cum, quod plerumque accidit, aut ante fe-  
 brem natae, aut febris vi aut tempore collectae, in  
 primis viis sordes resident, cum putridam circa  
 praecordia colluuiem haerere constat, non mirum  
 est, si tales aegrotantes suppressae febris poenas cer-  
 tas grauissimasque luunt. Omnia saepissime in his  
 casibus frustra tentata fuisse miserique tota hyeme  
 languisse leguntur, donec verna salutaris tempestas  
 haerentem in visceribus saburram soluit atque expu-  
 lit *k*). Insignis quidem haec vernaes inter atque au-  
 tumnales differentia *l*), nec minus non est negli-  
 genda, quod scilicet plerumque salutare illas nun-  
 quam mortem attulisse, has vero periculosiores ve-  
 hementia ac diuturnitate offendere, illas inflamma-  
 toria diathesi, has putrida colluuiem neglecta in conti-  
 nuas abire, compertum sit.

§. VII.

*Aliorum et nosira sententia.*

Num ergo tanti veteres erroris arguendi sunt,  
 cum febris causam accusauerint materiam morbifi-  
 cam, eamque a natura praeparari, ad exitum disponi  
 aut coqui, et ad crisin promoueri dixerint? Sed id,  
 quod causa dicitur, effectum esse dicunt, qui supe-  
 rare perspicacia videntur, recentiores laudati. Hi  
 quidem in duratione et vehementia conuulsionis cru-  
 ditatem, et spasmi solutione coctionem atque crisin  
 melius definire arbitrati sunt. Sed ipsi, dum vbi-  
 B 3

*k*) *Libr. cit.*

*l*) *Sydenb. sect. I. c. 3. Hipp. Aphor. 9. S. III. Forest. T. I. cap. 5.*



que nobis satisfacere videntur; anne effectum fac-  
pius pro causa venditant? Quid enim est, quod vires  
deicit aut spasmus excitat? Animi effectus, aëris  
intemperies, varia. Sed idem ane faciunt indigesta,  
corrupti ante febrem humores, aut solae aut cum  
illis causis conspirantes! Ne dubitare quidem sinunt  
exempla malorum, ex febre a principio suppressa  
exortorum, nec corporis habitus, nec vitae ratio  
relinquunt dubium. Humores ergo variis ex causis  
permutati aut febrim excitauerint, aut modo auxe-  
rint, materiam morbificam, aut causam, aut effe-  
ctum esse dixeris, si licet crudam remouere, aut de-  
nique mutatam solutamque excernere, coctionem  
et crisin naturam moliri, artem adiuuare opus est;  
ast ubi neque adest materia, nec ad mutandam aut eli-  
minandam vires valent, et grauis morbus est, spe-  
cifico iuuare nec, quae ob virium defectum fieri ne-  
quit, coctionem, neque crisin obseruare interest.  
Sicuti autem febres per naturam sine excretionem ali-  
qua insigni vix soluuntur, sic per artem absque op-  
portuna euacuatione tempestiue instituta raro discuti,  
hippocraticus commentator *m*) rite admonet.

Maximi ergo ponderis esse iudico, quod medi-  
corum principes iubent: Curandum esse, ne prae-  
mature cortex ingeratur, qui quidem inducias fac-  
pius impetrat, nec febrem semper debellat. Qui  
enim humorum corruptelam impedit, ac febris cha-  
racterem delet aut suspendit, nae! eius admirabili  
virtute in impuro aegro abutamur, sicuti factum esse  
probant obseruata *Sydenhamii*, *Boerhaauii*, *v. Swie-*  
*ten*,

*m*) *Glass. comm. de febr.*



ten, *Foresti, Grantii*, aliorumque eadem auctoritate virorum.

Neque vero minoris momenti est, quod veterum et recentiorum obseruatis constat, saepissime aut optimum, aut vnicum, remedium malorum febrem esse. Cephalaeam, puta, dolores rheumaticos, melancholiam, aliasque grauissimas atque inueteratas aegritudines sanare. Tantum ergo abest, vt salutare eiusmodi naturae conatus suppressere velimus, vt potius studeamus, id, quod difficile iudicatur et saepe artem fugit, naturam imitari et febrem excitare.

§. VIII.

*Confectaria.*

Qualis demum est, quae veteres dementia cepit? Quid posterius superius, quid veritati propius, quid propius vtilitati docuerunt, qui altius in rerum causis perscrutandis penetrasse celebrantur. Non tantum certe superant, vt habeant, de quo nepotes vituperent auos. Offendere videtur materia morbifica, quae certis a *Pythagora* diebus constitutis coqui excernique dicitur. Sed quum haec paullo accuratius consideramus; nihil simplicius atque ab omni hypothese remotius esse liquet, ac quae de causa morbi, coctione atque crisi antiqui docuerunt: scilicet, quae apta reddit vis innata ad assimilandum sanguini, aut excernendum ingesta alimenta, eadem aliena quaeuis mutat, eiicit aut praeparat eiicienda. Aut vires superant et cocta educuntur, aut cruda superant et vires subiguntur. Perfecta crisis dicitur in  
fani-



sanitatem aut in mortem subita mutatio. Id quum autem ratione et tempore consueto efficere naturam, obseruatum est, dies ergo statuerunt, quos decretorios appellant, et, quae aliis diebus contingit crisis sine coctione praegressa, aegrum non leuare nec iudicare sunt experti, imperfectam nuncuparunt. Quorum autem ratio si quaeritur, scilicet cur hoc nec alio tempore decretorius ille motus aegris accidit, id ignorare nos lubenter fateamur; contenti, quoniam esse oportet, experientia auctoritate summorum virorum confirmata. Quod si autem offenderit, *Pythagoram* aut *Hippocratem* hoc tempus definire, idem nobis accidere oportet, cum grauitatis leges atque motus a *Newtono* aut a *Galilaei* definitas esse legimus. Quod si occurrerit, meminisse iuuat dicti Sydenhamiani: *Mentem si serio applicuerimus, quid de facto agat natura et quibus in operatione sua organis utatur, deprehendere ualemus, modum autem, qua illa operatur, semper nobis latebit.*

Ciues tuentem sola quidem manet  
 Corona querna: at robore firmior  
 Et aere firmo laus perenne  
 Nomen, amice! tuum sequetur.


Ita adplaudit

CAROLVS FRIDERICVS DICKMANN,  
 Francofurt. March. Theol. Candidat. et Opponens.













HIPPOCRATICA  
DE CRISI ET DE CRITI-  
CIS DIEBVS  
DOGMATA  
CONTRA VIRVM ILLVSTREM CAMPERVM.

\*\*\*\*\*

D. SEPTEMBRIS MDCCLXXXVII.  
DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

LEGITIME CAPESSVRVS,

PVBLICA DISSERTATIONE

DEFENDET

CAROLVS GVILLIELMVS SCHWARZ,

LIGNICENSIS - SILESIVS.



---

TRAIECTI AD VIADRVN,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

